CONSIDERATIONES FORENSES DE CLAUSULA CAMBIALI QUAS CONSENSU MAGNIFICI ICTORUM...

Johann Florens Rivinus, Gottfried Christian Vollhard, Valenti Gonzaga


POTENTISSIMI REGIS POLON. ET ELECT. SAXON. IN CONSILIO RERVM CAMERALIVM ET METALLICARVM

VICE-PRAESIDI

PERILLVSTRI ET EXCELCELLENTISSIMO

NEC NON

CONSILIARIIS



VIRIS

EXCELLENTISSIMIS

GENEROSISSIMIS, PRAENOBILISSIMIS

DOMINIS SVIS ET PATRONIS GRATIOSISS. BENIGNISSIMIS.

LEVES HASCE PAGELLAS

DEMISSISSIMAE OBSERVANTIAE

DOCVMENTVM

D. D. D.

subiectissimus cliens

GODOFREDVS CHRISTIANVS VOLLHARD.

CLARISSIMO

DN. VOLLHARDTO

AVDITORI SVO PERQVAM

INDVSTRIO

S. P. D.

PRAESES.



Votiescunque fata & Epochas Juris Cambialis vel potius conſuetudinum mercantilium, quatenus in varias formas mutatæ, & a prima origine ad noſtra perductæ tempora, animo perpendo, toties impenſe lætor, quod quotidie in melius per peritos productas cernere liceat,

proinde tuos, CLARISSIME DOMINE VOLLHARDTE *merito laudo conatus & industriam, quam in eruendis quæstionibus occasione Clausulæ Cambialis, in foro hucusque inæquali marte agitatis, suscepisti. Faxit Divina gratia, ut studia* TVA *hucusque laudabiliter gesta, indies nova capiant incrementa, & in Summi Numinis gloriam, patriæ proximique emolumentum, gaudium splendid. Familiæ, inprimis in solatium pientissimæ Matris cedant. Dab. Lips. d.* XXX. *Nov. An. Recup. Sal.* M DCC XXV.

CONSPECTVS.

An

CORRIGENDA.


Pag. 3. lin. 17. pro ad lege quoad. p. 4. lin. 13. pro clausulæ adjectæ leg. clausulas adjectas. p. 6. lin. 12. pro insolidum leg. insolitum. p. 7. lin. 10. pro inisset leg. iniisset. p. 8. lin. 28. pro deprehendatur leg. deprehendantur. p. 19. lin. 5. pro saltis leg. saltim. p. 22. lin. 1. pro talem insecutam & publicatam leg. tale insecutum & publicatum. p. 24. lin. 28. pro commorantibus leg. commorantes. p. 25. lin. 14. pro cui lege quo. p. 26. lin. 4. pro exercent leg. exerceant.

§. I.



B. C. D.

§. I.



Arii in Jure nostro proditi inveniuntur et a Doctoribus suppeditari solent modi alterum nobis obligandi, quanquam negari nequeat, posteriores multis nugis & adjectitiis qualitatibus esse contaminatos, qui aliter a Theoreticis qui nudis speculationibus contenti, docentur, aliter ab exercitatis Practicis, qui Theoriam felici successu cum studio practico conjungunt, in usum & utilitatem proximi deducuntur; omnes vero executionem tantum in debitorum bona respiciunt, at postquam fides illa Teutonica vacillare cœpit, remedia illa sufficere non videbantur, tædium enim creabat ordinaria via & longis demum ambagibus id consequi, quod malitia adversarii denegabatur, hinc primum processum Executivum a gravitate Romanorum plane alienum, introduxerunt, & cum ne hic quidem solutionem debiti aut præstationem promissi maturare satis posset, admiserunt executionem in personam mediante processu Cambiali, ut eo faciliori imo certissima via sibi solutionem debiti, aut adimpletionem facti stato die & tempore promittere possent, non enim credebant quenquam mortalium adeo osorem libertatis natura-

lis fore, qui non extrema quasi adhibeat, ut molestias carceris malæque mansionis evitaret.

§. II.

Fluctuant vero interpretes ad quamnam speciem contractuum negotium cambiale referri debeat, communis opinio, cambium quidem esse peculiarem contractum innominatum tamen Do ut des, STEPHAN. GRATIAN. *Discept. Forens. Tom. IV. Cap. 652. n. 8.* DAV. MEV. *P. IX. dec. 132. n. 1.* NOB. DN. de BERGER *Oecon. Jur. priv. L. 3. tit. 7. §. 5.* B. RIVINVS *ad O.P.S. Tit. XI. En. 52. & Tit. XLI. En. 14.* alii pro emtionis specie juxta communem loquendi stylum mercatorium *Wechsel-Briefe kauffen* venditant. CARPZOV. *Lib. 2. tit. 8. resp. 92. n. 9.* DN. BARTH. *Hodog. Forens. Cap. IV. §. 1. lit. b.* nonnulli pro ipso mutuo habere non erubescunt, vel pro casuum diversitate pro specie locationis, mandati, vel etiam donationis accipiunt. B. TITIVS *Jur. privat. Lib. X. Cap. 5. n. 5.* a DN. BARTHIO *d. C. 4. §. 2. lit. a.* quoad donationis speciem erudite refutatus. ZIPFFELIVS *in Tr. de liter. Collyb.* nominat contractum consensualem, innominatum, quod contra naturam contractuum, & manifestam involvit contradictionem adeoque tolerari nequit, pauci mixtam naturam ex variis causarum figuris pro qualitate negotii concurrentibus cambio tribuunt, imo aliqui, qui tamen a natura cambii longissime recedere videntur, cambium contractum mere accessorium, qui semper principalem præsupponit, & per se subsistere nequit, nominant. *Conf.* DN. RECHENB. *Reg. Jur. privat. Lib. 3. Tit. XX. Reg. 2.* & nescio quale portentum seculi futuri progenies sit productura, sed nullam profecto solidam deprehendimus rationem quare non pro contractu nominato principali, moribus & consuetudinibus gentium in favorem commerciorum, intro-

ducto

ducto declarari queat. vid. JOH. SCHILTER. *Exerc. ad ff. 32. th. 10.* qui ita concludit: Eſt igitur hæc ſpecies novum negotium proprii contractus, reliqua hujus autoris verba; *quæ tamen nomen generis retinuit, & actione in factum præſcriptis verbis contenta eſt*, noſtra non facimus, potius actionem cambialem vel ſpecialem nominatam vel condictionem ex moribus appellare non dubitamus, Diſſent. DN. BARTH. *d. C. 4.* §. *2. lit. a.*

§. III.

Effectus cambii, quod ad formam et ſui perfectionem, expreſſe vocem *Wechſel* deſiderat. DN. HORN. *Claſſ. XI. reſp. C. n. 1.* in eo conſiſtit, ut prævia recognitione executio in perſonam dantis ſive debitoris ſuſcipiatur, ita, ut tamdiu perſonali arreſto detineatur, donec ſortem una cum uſuris & expenſis præſtet, qui quidem rigor unanimi Doctorum conſenſu obtinet, quoad literas cambiales ſolennes in forma tales. Num vero etiam ad quæcunque alia inſtrumenta quarentigiata ſuper quibusvis debitis data, quæ clauſula cambiali: *Nach Wechſel-Recht*, vel ſequentem in modum: *Dieſer Contract ſoll durchgehends die Krafft eines Wechſels haben:* munita, locum ſibi vindicet, non una eademque Doctorum eſt ſententia, in eorum caſtra tutiſſime tranſeundum eſſe exiſtimamus, qui huic clauſulæ eandem vim ac efficaciam tribuunt, ac ſi ſolennes ſcriptæ literæ, ita ut omnes in altiori indagine conſiſtentes exceptiones, imo non numeratæ pecuniæ, & non ſecuti implementi, quas alias proceſſus cambialis reſpuit, exulare debeant, Conſent. DN. GRIBNER. *Princ. proc. civil. Lib. 2. Cap. 5.* §. *8.* B. RIVINUS *ad O. P. S. Tit. XXXV. En. XXII.*

§. IV.

Scilicet verba contrahentium ſemper æſtimanda ſunt, partim ex ipſorum intentione, partim ſecundum uſum ver-

borum & communem loquendi genium, jam is, qui alterum mediante clausula cambiali obligare intendit procul dubio eundem duriori modo obstrictum & non tam bona debitoris, quam potius ipsius personam, devinctam cupit, ut nempe, in casum non secuti implementi vel omissæ numerationis, statim rigorem cambialem exercere queat. Pariter debitor huic sese submisisse dicendus, præsertim cum usus & intellectus vocabuli *Wechsel* ex more regionis nil nisi paratissimam executionem in personam operari possit; ideoque clausula illa extendi debet, secundum consuetudinem & stylum fori, IAC. MENOCH. *Conf. 844. n. 18.* hinc partes provisionem juris ampliare voluisse putandæ, omnes enim clausulæ contractibus adjectæ ita interpretari & exaudire ipsæ LL. nos jubent, ut omnia legibus harumque regulis convenienter inter partes conventa intelligantur & existimentur. Cum & ipsi contrahentes & paciscentes suas conventiones naturæ negotii celebrati conformare voluisse censeri debeant. *l. 54. §. 1. ff. locat.* FERDIN. CHRIST. HARPRECHT. *Conf. 60. n. 194.* adeoque clausula cambialis apposita eundem effectum producere debet, quem alias negotium ipsum cambiale, quod clausula illa indigitatur, & ideo practicantur clausulæ speciales, quia clausulæ generales sæpius non sunt sufficientes. VITAL. de CAMBAN. & CELS. HVGO *Tract. clausul. p. m. 471. n. 21.* imo clausula in executivis ampliat dispositionem, maxime quando alias nil operatur, MENOCH. *Conf. 87. n. 43.*

§. V.

Ex quo apparet ejusmodi instrumento obligatorio super mutuo dato, æque ac literis cambialibus, licet propter mutuum scriptis, a moroso aut egestate presso debitore non opponi posse cum effectu exceptionem non numeratæ pecuniæ, cum hæc se saltem referat ad contractum mutui,

tui, *l. 14. C. de non numer. pecun.* non vero applicanda ad ſeparatum ab iſto & privilegiatum contractum cambii, cujus indoles omnes exceptiones celerrimam executionem, in perſonam impedientes reſpuit, CARPZ. *lib. 2. Tit. 8. reſp. 92.* Dn. HORN. *Claſſ. XI. reſp 100. n. 5.* B. TITIVS *Jur. priv. lib. 10. Cap. 5. §. 20.* RIVINVS *Tit. XI. En. 52.* licet caterva diſſentientium exiſtat, qui iſtam exceptionem etiam ad cambialia negotia accommodare ſtudent, vid. Dn. WERNH. *Part. 2. Obſ. 403.* inter quos LAVTERBACH. *Tit. de R. C.* eminet, cujus judicium quondam, ſecuta collegia Wittembergenſia, ſed re diligentius conſiderata mutaſſe ſententiam, & in negotio cambiali prædictæ exceptioni nuntium miſiſſe teſtatur NOB. Dn. de BERGER. *diſcept. Forenſ. Tit. 5. Obſ. 5. Not. 5. in fin.* & fortaſſe ad evitandas omnes difficultates non inutilis cautela erit, ejusmodi inſtrumento obligatorio adjicere verba: *Nach Leipziger Wechſel-Recht, und der daſelbſt verhandenen Wechſel-Ordnung*, vid. *ID. Oecon. J. Priv. lib. 4. Tit. 30. §. 4. n. 3.* Diſſentit Dn. BARTH. *Hodog. Forenſ. Cap. 4. §. 1. lit. a. & §. 13.* additis rationibus: quod fundamentum obligationis ſit chirographum, retinens naturam mutui, & clauſula cambialis tantum acceſſoria, acceſſorium vero ſuo principali potentius eſſe nequeat, unde chirographum & cauſam debendi magis quam modum obligandi reſpici debere; ſed, quod pace Conſultiſſimi viri dixerim, clauſula adjecta mutare omnino videtur, qualitatem chirographi quoad executionem, nec enim ad præcedentem naturam mutui referre debet, cum promiſſio ſolutionis ſit ſeparatus actus & nova quaſi obligatio inducatur. LAVRENT. de PINV *Conſ. 153. n. 13.* Suamque ſpecialem determinationem effectumque habeat, MENOCH. *Conſ. 181. n 8. & Conſ. 151. n. 43.* hinc cum clauſula iſta plane diverſa ſit a

negotio mutui merito vim diversi facti; & obligationis producere debet, *de* CAMBAN. & HVGON. *Tract. Claus. p. m. 337. n. 1.* imo clausula adjecta involvit renunciationem exceptionis non numeratæ pecuniæ, quippe quæ contrariatur negotio cambiali & cum rigore illo ex negotio isto proveniente stare nequit, potius provisio hominis, per adjectionem istius clausulæ, inducit recessum a provisione legali vel juris, quæ debitori mutuum accipienti alias exceptionem non numeratæ pecuniæ tribuebat, & ad novandum negotium quoad executionem adjectam fuisse dicendum, cum per se subsistere & propriam rei formam dare possit, ID. *p. 337. n. 2. 3.* nec enim insolidum & jam in foro Romano permissum per pacta contractibus adjecta recedere ab ipsorum naturalibus.

§. VI.

Quoad contractus bilaterales, e. c. emtionis venditionis, locationis conductionis, eadem subest dubitatio, quippe cum ab utraque parte quid præstandum, ex non nullorum sententia clausula cambialis instrumento emtionis venditionis vel locationis conductionis adjecta, parum usus habebit, nec impedire poterit, quo minus debitor exceptione non adimpleti contractus solutioni remoras injicere & in venditorem, aut locatorem onus probandi devolvere & reprobando litem protrahere possit, quæ sententia NOB. Dn. de BERGER. *in Suppl. ad discept. Forens. Tit. 5. ad Obs. 3. p. 133.* & Dn. BARTH. *Hod. Forens. Cap. 4. §. 1. lit. a.* imo LVDOVIC. *in introd. ad proc. camb. cap. 2. §. 2.* ridiculum censet, si quis ex instrumento emtionis venditionis aut locationis, conductionis actionem cambialem in judicium deducere vellet. Sed & hæc exceptio cum reliquis naturæ processus cambialis repugnantibus merito eliminanda, nec est, ut effectum clausulæ cambia-

lis

lis suspendamus, donec peracta longo intervallo probatio & reprobatio, creditor enim clausulam istam salutarem adjici curavit, ut appropinquante termino solutionis & promisso tempore, absque ulla dilatione, nummos paratos accipere; litisque ambages evitare possit, alias parum commodi ex ista clausula ipsi obveniret, etenim probato implemento alias parata est executio in bona contrahentis & si ipsius personam respicere noluisset, non facile contractum, qui ut plurimum in plures annos dirigi solet, nec contrahentem obæratum præsupponit, inisset; ut taceam non agnoscere debitorem bonam fidem qui per oppositam, ut plurimum litis protelandæ causa, exceptionem non secuti implementi subterfugere cupit condemnationem & detentionem personalem, de qua exceptione tempore subscriptionis non cogitabat, aut, si defectum implementi metuebat, sibi magis prospicere debuisset: Qua occasione non possumus non cautelam pro conductore commendare, ut inseri curet instrumento locationis verba: *Begäbe sich aber, daß Pachter bey Bezahlung eines Termins, wegen unten beniembten Unglücks-Fällen einen unstreitigen Remiss zu gewartten hätte, wird mit der Schärffe des Wechsel-Rechts billig auf sothanen Termin angestanden, und der Remiss, binnen selbigen und folgenden Termin, also fort ausgemachet.*

§. VII.

Solent dissentientes imprimis allegare differentiam cambii seorsim, ut contractum principalem considerari, & quatenus ut accessorius ad firmandam tantum obligationem principalem adhibetur, exemplo stipulationis utpote, quæ reperta sit ut alias conventiones & tractatus firmaret ac quasi obsignaret, quamvis enim inquiunt, ex illis contractibus actio jure civili competat, tamen iisdem

etiam

etiam stipulationem utiliter accedere, ut & firmior sit obligatio & certior ratione præstationum. *l. 3. §. 1. de act. emt. l. 4. §. 4. de Usur. l. 99. ff. de V. O.* ita ut vix quicquam legitime conventum putarint Romani, nisi stipulatio subjiceretur, seu mutuum seu emtio, sive societas aliusve contractus iniretur. *l. 71. pro soc. l. 88. de solut.* ita autem nemo dicet stipulatione novari contractum atque in aliud genus contractus transfundi, potius contractui priori suam relinqui naturam atque indolem, & per stipulationem formari atque augeri duntaxat. Sed uti dissentientes nobiscum, quod solenniter acceptatur, in eo conveniunt, quod cambium per se & sua natura consideratum sit contractus peculiaris & principalis, & quod in processu cambiali omnes exceptiones in altiori indagine consistentes in reconventionem rejiciantur, ita persuasi sumus per adjectionem clausulæ cambialis, ex intentione contrahentium, revera & actualiter celebratum fuisse cambiale negotium, & profecto nulla justa causa subest, cur adjecto vocabulo cambii ejus naturam immutare velimus, cum potius ea interpretatio capienda, quæ ejusdem naturæ consentanea, nam quotiescunque clausulæ ad ipsius, quam indigitant, naturam commode reduci possunt, nunquam alterant aut debiliorem reddunt, ipsius naturam. HARTM. PISTOR. *lib. 2. qu. 1. n. 104. & l. 2. qu. 3. n. 15.*

§. IIX.

Quod ad stipulationes: ostendunt *l. 1. & 10. C. de contrah. stipul.* quod stipulationes recte dicantur etiamsi solennitates verborum in interrogando & respondendo non deprehendatur, quod etiam asserit Imperator *§. 1. J. de V. O.* & Ulpianus *in l. 30. ff. de V. O.* dicit, sciendum est generaliter quod si quis scripserit se fidejussisse videri omnia solenniter acta, cum quo convenit Paulus in *l. 38. ff. de O. & A.*

& A. non figura literarum sed oratione, quam exprimunt literæ, obligamur, quatenus placuit, non minus valere quod scriptura, quam quod vocibus linguæ figuratis significatur: His præstructis stipulatio per se & sua natura erit contractus firmus, adeoque ea interveniente non redeundum ad historiam originis sed ex ipsa promissione erit valida & nova quasi obligatio, ut etiam exceptiones ex priori causa obligationis competentes, excepto solo dolo, negligi debeant, hinc dicit Imperator *pr. J. de V. O.* ex omni stipulatione dari actionem, & ULPIANUS *in l. 37. ff. de O. & A.* stipulationes actionum instar obtinere; Eleganter se habent verba JCTI, *in l. 126. §. 2. ff. de V. O.* Quæramus an ex numeratione ipse qui contraxit pecuniam creditam petere possit? nam quoties pecuniam mutuam dantes, eandem stipulamur, non duæ obligationes nascuntur, sed una verborum, denique liceat paucis mutatis applicare verba *l. 1. §. 1. C. de R. U. A.* sicuti stipulationes & hypothecæ dotibus inesse intelliguntur & inutiles stipulationes emendantur, sic & causa & obligatio proprii cambii in clausula cambiali invenitur valida & perfecta, nihil enim prohibet dicere, solennes quasi esse scriptas literas cambiales, ut natura obligatioque cambii & clausula adjecta intelligatur.

§. IX.

Usus fori hac in parte variat, & incerto jure uti videmur. Commemorabimus casum qui adhuc coram Regimine Duc. Weissenfelsensi ventilatur, movebat actionem W. H. R. contra J. M. S. ex instrumento super contractu locationis conductionis conscripto, in quo solutio locarii sub clausula cambiali stipulata, reus subterfugia præsertim in exceptione non secuti implementi quærebat, Facultas Juridica Vitemberg. hac de re consulta respondebat Mens. Sept. 1722. *daß bekl. weilner Innhalts des recognoscirten Pacht-Brieffs*

die Bezahlung des Pacht-Geldes nach Leipziger Wechsel-Recht versprochen, und seine exceptiones altioris indaginis seynd, die verfallene Pacht-Gelder nebst dem Interesse moræ Kl. Principaln zu bezahlen schuldig, und wird, in Verbleibung gütlicher Befriedigung, wider ihn nach Wechsel-Recht gebührend billig verfahren, hingegen er mit seinen exceptionibus in die Reconvention gewiesen, at interposita leuteratione & actis ad Scabinatum Lipsiensem transmissis Mens. Febr. 1724. sequebatur reformatoria, inter alia hujus tenoris. *Weiln die Exceptio non adimpleti contractus bey dem Processu Executivo, wenn solcher auf einem Contractum bilateralem sich gründet, ordentlich auch alsdann, wenn in demselben die Zahlung nach Wechsel-Recht versprochen worden, zu attendiren,* quam sententiam causa ad Summum provocationum Judicium quod Dresdæ viget, devoluta M. Febr. & M. August. hujus ann. confirmatam fuisse accepimus. In Suprema Curia provinciali Lipsiensi plus quam vice simplici ex instrumentis super emtione venditione confectis clausula cambiali munitis, neglecta ab adversario opposita exceptione non adimpleti contractus rescripta arrestatoria impetrasse eaque a Potentissimo, rejecta debitoris appellatione, approbata fuisse Dn. Præses testatur. Et coram præfectura Lipsiensi ad instantiam J. J. H. a F. G. K. ex locationis contractu clausula cambiali firmato locarium, spreta & in reconventionem rejecta exceptione non secuti implementi, exactum fuisse loquuntur acta ibid. ventilata.

§. X.

Notabilior & plane singularis casus, qui fortasse dissentientibus, propter varias concurrentes circumstantias, durus & æquitati contrarius videbitur, coram jam laudata Præfectura ante aliquot annos ventilatus fuit; Locaverat nempe N. L. B, de F. in sex sequentes annos bona sua feudalia A, cum perti-

pertinentiis C. S. mutuæ præstationes utrinque promissæ, a conductore C. S. vero locarii solutio in certos terminos jure cambiali stipulata, pendente hac locatione locatoris sorores impetrabant contra fratrem ex capite debiti executoriales, imprimis in fructus feudi, inter alia M. Decembr. 1713. emittebatur rescriptum Regium ad Præfectum, hujus tenoris: *Als begehren wir, du wollest wider dem Pachter, im Fall er sich dem Anführen nach in dem Pacht-Contracte darzu verschrieben, nach Wechsel-Recht oder, da hierbey noch einiges Bedencken, mit der Execution ohne fernern Anstand verfahren;* citatus conductor negare quidem non poterat se debere adhuc locarium, se tuebatur tamen exceptione non secuti implementi, pertinentias locatas vel plane non vel modo promisso ipsi non esse traditas, imprimis ipsi, vi contractus, remittendam esse magnam locarii partem, ob infertilitatem superioris anni, passam, fundans se in simul in exceptione compensationis, insuperque ab ipso loco cautionis certam solutam fuisse quantitatem, qua satis securus redditus locator, relatione ad Potentissimum in favorem conductoris facta, sequebatur Decisio sub dat. d. 18. April. 1714. *Darauf begehren wir, du wollest den Pachter C. S. zu Bezahlung derer verfallenen Pacht-Gelder unverzüglich nach Wechsel-Recht anhalten, denselben hingegen mit seinem Suchen, der Caution und anderen zur Compensation angegebenen Posten halber, noch zur Zeit ab und zu fernerer Ausführung verweisen.* d. 28. ejusd. Mensis C. S. publicabatur rescriptum Regium, &, licet denuo allegaret supra nominatas exceptiones, & urgeret præstationem evictionis *die Gewährs-Mangel,* tamen carceri mancipabatur, &, licet iterata vice supplicando adiret Potentissimum, tamen relaxationem arresti impetrare non poterat, tandem Potentissimus, permittebat speciali rescripto de dato d. 24. Sept. 1714. ut acta, au-

ditis partibus, ad collegium JCtorum transmitterentur, prolixe C.S. jura sua & exceptiones, duplicatis positionibus deducebat, sed, actis ad Facultatem Juridicam Lipsiensem transmissis, Sententia minus favorabilis pro eo pronuntiabatur, de publicato d. 5. Januar. 1715. hujus tenoris *daraus so viel zu befinden, daß C. S. des Arrests noch zur Zeit nicht zu entlassen;* optimum igitur consilium pro C.S. ut prætensiones suas rite formaret & ad statum liquidi perduceret, extrahebat igitur terminum & provocabat locatorem ad responsionem specialem, quam hic, conquisitis variis exceptionibus, imprimis se ante numerationem actualiter præstitam non teneri ad responsionem, subterfugiebat, at Dn. Scabini justa indignatione commoti M. Maj. 1716. sequentem dicebant sententiam, *daß der F. Anwald, seines Vorwendens ohngeachtet, auf das Vorbringen fol. 182. seqq. und die darinne angezogene Abrechnung von Puncten zu Puncten, sub pœna confessi & convicti auch liquidi, sich einzulassen, und beyde Theile ferner darüber kürtzlich zu verfahren und zum Urthel zu beschliessen, jener auch seines theils die Constituirung eines liquidi, so viel an ihm ist, zu bescheinigen schuldig, mit der Verwarnung, daß, in Verbleibung dessen und bey fernerer Verzögerung, S. des Personal-Arrests entlediget werden solle,* locator interponebat leuterationem, quam rejiciebat Præfectus, post provocabat ad Potentissimum qui itidem, appellatione rejecta d. 20. Jul. acta remittebat, novus præfigebatur terminus, locator ad ea, quæ a conductore in liquidationem deducta, negando respondebat, &, licet hic dimissionem ex carcere propter manifestam protractionem instantius expeteret, tamen petito ipsius annuere noluerunt Dn. Scab. Lipsiens. in sententia d. 21. Nov. d. a. publicata, quæ ita se habebat: *Dieweil der F. Anwald auf das Vorbringen*

f. 182.

f. 182. seqq. und die darinnen von S. angezogene Abrechnung sich eingelassen und derselben nicht allerdings geständig, so ist dieser die vorgeschützten exceptiones non adimpleti contractus, plus petitionis, solutionis & compensationis, *so viel ihm daran verneinet, in Sächsisl. Frist zu bescheinigen schuldig, darwider F. die Gegenbescheinigung und andere rechtl. Nothdurfft so wohl beyden Theilen der Eydes delation sich zu gebrauchen billig vorbehalten wird: Ferner darauf zu beschehen was Recht ist. Immittelst mag S. des Arrests noch zur Zeit nicht erlassen werden;* quæ sententia, interposita & præter spem admissa leuteratione, confirmata fuit a Facult. Jur. Lips. mense Febr. 1717. sed F. non acquiescebat, potius mediante appellatione devolvebat causam ad Regimen Electorale, quod quidem admittebat appellationem at infelici successu locatoris, sequebatur enim non tantum confirmatoria sed & Domini in supr. Appellationum Judicio summa æquitate & misericordia in conductorem, per plures annos in carcere detentum, ducti adjiciebant declarationem, quod præstita cautione pignoribus aut fidejussoribus, juncta promissione juratoria de judicio sisti, e squalore carceris liberandus, sententia 1. Septembr. 1717. publicata apponi meretur: *Daß in erster Instanz wohl gesprochen und übel appelliret, derowegen die Sache an derer vorigen Richter zu weisen, immaßen wir sie hiermit dahin remittiren und weisen. Es ist auch Appellant die expensas retardati processus an 6. thlr. 3. gr. Appellanten zu erstatten schuldig, und wird immittelst Appellatens Principal, gegen bestellung eines Vorstandes auf 500. fl. hoch, mit Bürgen oder Pfanden und hierüber geleisteten eydl. caution sich jederzeit auf Erfordern hinwiederum in Person vor der Commission zu stellen und demjenigen, was wieder ihm erkannt*

kannt wird, nach zu kommen, des Arrests billig erlassen. Sed hic demum d. 3. Sept. sequentis anni 1718. post remotas varias a F. excitatas contradictiones & remoras, dimissus fuit postquam per integrum propemodum lustrum carceri inclusus fuerat, tristique suo exemplo doctrinam nostram confirmaverat, clausulæ cambiali eundum effectum quoad executionem, ac literis cambialibus solennibus tribuendum esse. Interim ex huc usque dictis apparet, causas in foro peroranti integrum esse, ob inconstantiam Collegiorum & partes negantes & ajentes, donec pragmatica sanctione lis definiatur, suscipere.

§. XI.

Modus procedendi in causa cambiali celerrimus in *append. emend. Ord. Proc. Sax.* §. *12.* præscriptus, scilicet ut quilibet Judex ordinarius absque rescripto arrestatorio, omissa citatione, productis a creditore originaliter literis cambialibus, debitorem arresto personali, donec solvat, detinere possit, & quanquam textus de literis cambialibus solennibus loqui videatur, tamen procul dubio comprehendit reliqua chirographa clausula cambiali munita, præsertim cum verba initialia *d.* §. generaliter concepta de personis, quæ se Jure cambiali valide obligare possunt. De cœtero rigor cambialis per interpositam, a debitore appellationem, impediri nequit, sed post a Judice ex officio relatio ad superiorem intra octiduum facienda, & ita etiam capio §. 7. *Tit. XXXV. d. O. P.* in quo nominatim causarum cambialium, quæ non præcise solennes literas cambiales desiderant, mentio injicitur, quanquam prætorium Lipsiense non ita pridem in causa D. R. contra M. G. producto instrumento locationis conductionis clausula cambiali

biali firmato, ob interpositam a posteriori appellationem, vi d. §. 7. executionem suspendendam & prius relationem ad Potentissimum mittendam esse duxerit, qui tamen rejecit appellationem cum clausula, & verbis conceptis, rigorem cambialem ex isto instrumento in remissorialibus clementissime datis permisit.

§. XII.

Causa debendi ad partes essentiales documenti quarentigati vulgo refertur, qua omissa denegandus processus executivus. Sed quid dicemus de documento, in quo quidem solutio promissa Jure cambiali, nulla vero causa debendi specialis adjecta e. c. Si quis dederit Schedulam sequentis circiter tenoris. *Gegen diesen meinen Schein gelobe ich Oster-Messe 1725. zu bezahlen nach Wechsel-Recht an N. die Summa von 1000. thl. des Werths von ihm vergnüget*, exercitium rigoris cambialis merito admittimus, in materia enim cambii qualitas causæ debendi non respicitur nec otiosa potest esse clausula conf. Dn. BARTH. *Hodog. Forens. Cap. IV. §. 1. lit. a. n. 7. & 8.* qui in tali manco instrumento ab imperito reo recognitionem pro cambialibus literis desiderat. Imo sapientissimus noster Augustus in *append. emend. O. P. §. 5.* in universum quibusvis instrumentis literariis, licet in iis nulla debendi causa specialis expressa, cum moribus hodiernis, ad simplicitatem juris naturæ reductis, quodlibet pactum nudum sit obligatorium ad revocandam iterum magisque stabiliendam fidem, animam commerciorum, vim quarentigati tribuendam esse sancivit. Quid quod ante latam hanc legem publicam Dn. in Scabinatu Lipsiens. in causis mercatoriis defectum causæ debendi neglexisse, & contra debitorem condemnatoriam pronuntiasse loquuntur acta coram judic. Mercat. Lips. K. contra R. L. L. hæredes.

§. XIII.

At ea, quæ in app. §. *17. E. O. S.* ut lege nova diſpoſita, nempe debitorem, ſi literis cambialibus novam quantitatem debitam ex intervallo, adjecto tamen tempore & acceptæ pecuniæ & ſolutionis faciendæ, ſubſcribat, licet nulla cambii denuo injiciatur mentio, eodem tamen modo, ac ſi de novo ſeparatæ literæ cambiales traditæ, obligari, nollem applicare ad chirographa alia, clauſula cambiali firmata cùm procul dubio Potentiſſimus favorem commerciorum & exuberantem, quæ inter mercatores intercedere debet, fidem ſpecialiter reſpexerit, quod de aliis inſtrumentis litterariis indiſtincte non aſſerendum, quæ quidem paratam executionem ſed non aliter in perſonam debitoris habent, quam ſi hic, mediante clauſula cambiali, expreſſe ſe ad carceres obligavit.

§. XIV.

Interim quamvis ejusmodi inſtrumentum obligatorium caſu aut vetuſtate temporis quodammodo ſit laceratum, tamen vis quarentigiati non ademta cenſetur, adeoque, proceſſui executivo & cambiali locus dandus, modo laceratio non circa partes eſſentiales v. g. ſummam promiſſam, vel ſubſcriptionem, deprehendatur, conf. RIVIN. *Tit. XXV. En. XXIII.* Caveat autem actor ejusque advocatus, ne a debitore etiam extra Saxoniam, accuſata contumacia, petat recognitionem ſub pœna recogniti, potius petitum ſimpliciter ad recognitionem & ſolutionem ſecundum ſtylum cambialem *nach Wechſel-Recht* informandum alias id incommodi habebit, ut integrum ſpatium indulgendum reo, ſi iſtud documentum pro recognito judicari poſſit. ID. *Dict. Tit. En. XX.* & DN. BARTH. *Hodog. For. Cap. IV. §. 1. lit. f.*

§. XIII.

§. XV.

Si in inſtrumento obligatorio clauſula cambiali vallato ſolutio proximis nundinis. e. c. Paſchalibus, *künfftige Oſter-Meſſe*: promiſſa fuerit, dubium emergit an creditor diem ſolutionis ſubſequentis ſeptimanæ *der Zahlwoche* expectare an non ſtatim in ſequenti prima aut altera die lunæ, aut Martis exigere queat ſolutionem, multi DD. imprimis DN. BARTH. *Hodog. Forenſ. Cap. IV. §. 4. lit. k.* & DN. KOENIG. *in annot. ad ord. Camb. Lipſ. ad §. 14. n. 4.* affirmativam tenent ſententiam, exiſtimantes, eo momento, quo finis nundinarum per campanæ ſonum indicatur, finiri inſimul privilegium nundinarum, initiumque capere ſeptimanam ſolutionibus deſtinatam, adeoque diem Jovis in nundinis Paſchalibus & St. Michaelis, &, quintam diem Nundinarum hyemalium eſſe terminum ad quem & extremum exactionis, eundem tamen expectare neutiquam eſſe obligatum creditorem, ſed creditum etiam a moroſo debitore via juris exigi poſſe, & jam laudatus DN. KOENIG. præjudicium Dn. Scabin. Lipſ. recenſet quod M. Oct. 1704. ad interrogationem, judicii mercatorii dederunt, ſed contrarium nobis verius videtur, nam dies ſolutionis in favorem debitorum a principe indulta, quamdiu igitur terminus ſolutionis peremtorius nondum præterlapſus, nondum venit dies i. e. cum effectu, ob exceptionem plus petitionis tempore, ſolutio urgeri nequit, nec ſubſiſtit argumentum a voluntate & arbitrio debitoris ad judicialem exactionem ductum, qui ante diem quidem ſolvere & ſolutionem anticipare poteſt, ſed invitus a judice ad præſtandam actualem ſolutionem cogi nequit, & quæ voluntatis invito debitore neceſſitatis eſſe nequeunt, inde etiam Dn. Scab. Lipſ. poſtmodum ſententiam priorem mutarunt; & miror DN. BARTHIVM in caſtra affirmantium tranſiiſſe cum tamen *ad d. §. 4. lit. o. ſub. n. 3.* concedat, ſolutione in literis traſſatis ad certum diem adſtricta debitorem ante eum invitum cogi ad ſolvendum non poſſe, quamvis volens ſe ab obligatione per acceptationem contracta liberare poſſit,

unum enim idemque nobis esse videtur an ex conventione an lege publica dies certus solutioni destinatus,& quid impedit asserere, eum,qui literas cambiales nundinis proximis solvendas dedit, se noluisse alio modo obligare quam ad solutionem quinta die altera septimana præstandam, accipientem vero in exactionem ista demum die faciendam consensisse, cum inter mercatores imo ex communi usu non prius,quam die solutionibus destinato,*am Zahl-Tage* exactio fieri soleat & debeat, ideoque debitor præposteram & intempestivam exactionem pro injuria allegare poterit.

§. XVI.

Solutio literis cambialibus existentibus, certis nummorum speciebus fieri debet, prout in *Ord. Camb. Lipf.* §. *XXII.* specialiter provisum qui §. postea an. 1685. speciali mandato a JOH. GEORG. III. Gloriosissim. memor. declaratus,quamquam quoad longum usum & observantiam mercatorum in qua se fundat DN. KOENIG *in annot. ad d.* §. nemini evictionis præstationem in contradictorio pollicemur,sed hæc ad alia instrumenta obligatoria licet solutio *nach Wechsel-Recht*, promissa applicari non poterunt,cum clausula ista rigorem quidem cambialem,sed non præcise solutionem in moneta cambiali operetur, tutius igitur erit genus monetæ exprimere, & si solutio in moneta certo modo reprobata. e. c. Gallici axiomatis *in Frantz-Gelde* promissa, creditor quidem istud genus monetæ non recusare,ultra tamen valorem mandato principis determinatum, accipere non tenetur, si vero nullæ plane species monetæ expressæ tamen in minutiori moneta *Scheide-Müntze*, itidem solutio fieri non poterit. Obveniebat ante aliquot annos casus, ubi fratres mercatores post obitum patris suis coheredibus ratas hereditarias in certos terminos J. Cambiali in moneta currente promiserant, illi solutionem in grossis quorum 24. aut 12. th. efficiunt, ut & in th. in specie ab Imperatoribus cusis offerebant, at coheredes recusabant,Scabin.Lipf. M. Maj. 1720.nomine TITII & MEVII consulti respon-

respondebant, coheredes ad illas species recipiendas cogi non posse, at Facult. Juridic. Lips. Dn. Præside tecto nomine D. Sempronii eod. mense interrogante, obligatos esse heredes existimabant ad recipiendos groff. duplicatos & thal. in specie Imp. rejectis saltis grossis, & rationem decidendi in Edict. Monet. Imper. Ferdinand. de an. 1559. §. 11. collocabat.

§. XVII.

Per nudum indossamentum f. Giro literæ cambiales in tertium quasi per gyrum transferri & cedi possunt, sed id speciale est quoad literas cambiales in favorem commerciorum introductum, igitur non extendendum erit ad quæcunque documenta alia licet iisdem clausula cambialis adjecta, sed circa ista solenni cessione opus erit, alias producenti obstabit exceptio illegitimationis ad causam, jure enim Saxonico juxt. *Dec. Elect. XXIIX. & Mandat. Elect. Special. de an. 1614.* in omnibus cessionibus causa & quantitas debiti, ut & summa quæ soluta exprimenda CARPZ. *part. 3. Decis. 255.* DN. BARTH. *Hod. For. Cap. IV. §. XXI. lit. a. n. 4. j. arg. l. 25. §. 4. ff. de probat.* de cœtero creditori indistincte potestatem cedendi tribuimus licet ipsi facultas ulterius cedendi verbis expressis non concessa nec verba *oder getreuen Brieffs-Innhaber* inserta, cessio enim est juris & cuilibet proprietario in re sua versari liberum & cum de bonis suis pro arbitrio disponere possit, quin etiam de cambialibus literis parte patrimonii, imo inscio & invito debitore fieri poterit, nec enim transire possumus in sententiam eorum qui cedendi sive indossandi facultatem eo casu quando verba, commiss. *oder Ordre* omissa, simpliciter denegant, sibique persuadent, creditorem, qui cum ista restrictione accepit literas cambiales, tacite in id consensisse, quod easdem ulterius cedere nequeat, nec enim quisquam ea, quæ juris, amittit, nisi expresse renunciaverit & frustra ad usum & imaginariam consuetudinem inter mercatores provocatur, quæ deficientibus requisitis & actibus ad consuetudinem introducendam necessariis, imprimis quod in contradicto-

rio ita pronuntiatum pro legitima vix habenda, nec mercatorum opinio vulgo *parere* dicta quam allegat Dn. KOENIG. *in annot. ad Ord. Camb. Lipſ. ad §. XI. ſub n. 1.* alicujus momenti erit, his enim nulla de jure reſpondendi data poteſtas, quanquam in aliis caſibus mere mercantilibus ejusmodi conſilia non plane negligenda, & profecto poſſeſſor literarum cambialium deterioris conditionis eſſe non poterit, quam alius creditor, qui nomina ſua jure permittente in quemcunque extraneum mediante ceſſione transferre pro lubitu admittitur. vid. Dn. BARTH. *Hodog. Forenſ. Cap. IV. §. 4. lit. e.* ſolide hac de re differentem, & apud ZIPFFEL. *Tract. Camb. p. 135.* reſponſum pro noſtra ſententia invenitur. *Conſ. Anh. der Erläut. und Verb. P. O. §. 15. p. 309.*

§. XIIX.

Fœmina mercatrix & quæ negotiationem propriam exercet, juxta *Reſcript. Elect. de anno 1674. & Ord. camb. Lipſ. §. 2.* in cauſis negotiationem concernentibus rigori cambiali ſubeſt, ſive ſit innupta ſive maritata, licet deficiat mariti aut curatoris conſenſus & ſubſcriptio, nec præceſſerit certioratio jurium & privilegiorum alias ſexui competentium. NOB. Dn. de BERGER. *Diſcept. For. Tit. V. Obſ. 3. not. 1.* Dn. BARTH *Hodog. For. Cap. IV. §. 3. lit. b. c. d. conſ. Emend. O. P. in append. §. 11.* Reliquæ fœminæ ob debitum civile carceri mancipari nequeunt, licet ſeſe pacto & propria conventione ad eundem obligaverint, aliud obtinet in foro Electorali Saxon. etenim juxta expreſſam *conſtit. XXI. P. II.* fœmina debitrix ſi de jure ſuo admonita & certiorata fuerit, conſenſu & authoritate curatoris in caſum ſolutionis ceſſantis ob proprium debitum ſe ad carcerem obligavit, perſonali areſto merito detinetur, quodſi vero pro marito alioque extraneo intercedere velit præter certiorationem præcedentem etiam renuntiatio SCTI Vellejani accedere debet. CARPZ. *ad h. C. def. 8. & 9.* qualis caſus ante aliquot annos Dn. Præſidi obvenit in cauſ. A. M. M. contra B. coram Senat. Lipſ.

§. XIX.

Dederat D. M. B. cum consensu mariti & curatoris A. M. M. literas cambiales nundinis vernalibus 1717. solvendas, in quibus renunciaverat & quidem sub clausula juramenti omnibus privilegiis sexui muliebri indultis, in specie exceptioni ac si fœmina in causa civili personali aresto affici nequeat, non secuta solutione creditrix A. M. M. a Senatu Lips. vi generalis illius mandati, quod indistincte contra debitores rigorem cambialem tempore nundinarum concedit, expetebat expeditionem cambialem, detrectabat hanc Senatus, & prius sententiam Dn. Scabinorum Lips. per modum informati explorabat; hi respondebant M. Oct. 1718. *Dievveil nach der XXI. Constit. P. II. eine Weibes-Persohn sich zu persöhnl. Arrest, vvenn es ihrer eigenen Schuld vvegen geschiehet, verbinden kan, dergleichen in gegenvvärtigen Fallè D. M. B. cum curatore gethan, und bey dem Wortte der evvigen Wahrheit sich darzu anheischig gemacht, so vvird vvieder ermeldte B. derer fol. 1. angegebenen 300. thlr. halber nach Wechsel-Recht gebührend billig verfahren*, ad instantiam creditoris statim absque prævia publicatione & citatione rigor cambialis adversus debitricem, licet hæc eundem per interpositam appellationem ad Potentissimum impedire conabatur, exercebatur, & quamvis hæc omnia, quæ poterat, pro se movebat, & ex capite nullitatis obligationem cambialem impugnare audebat, tamen modus procedendi a Potentissimo relatione ad ipsum facta approbatus.

§. XX.

Actum fuit in comitiis provincialibus anno 1676. de hoc argumento, annon expediat sexum muliebrem quoad personas mercaturam non exercentes plane eximere rigore cambiali, cum in præjudicium maritorum, hisque competentis juris usus-fructus se non commode ad carceres obligare queant, & varia incommoda in rebus domesticis & œconomicis metuenda, placuit etiam Serenissimo recessui comitiali inserere promissionem de emittendo & promulgando proxime speciali mandato, sed

 talem

talem insecutam & publicatam fuisse non meminimus, conf. Dn. WERNHER. *part. X. Select. Obs. 490.*

§. XXI.

An filius familias cambium contrahere possit non undiquaque expeditum, sane usus fori circa determinationem hujus quæstionis inconstans, multi DD. literis cambialibus a filio familias datis omnem vim obligandi denegant, & pro mutuo palliato habent. Dn. BARTH. *Hodog. Forens. Cap. IV. §. 9. & lit. c.* Dn. TITIVS *J. priv. Lib. X. cap. 5. §. 10.* & novissimum præjudicium recenset. Dn. WERNHER. *Enunc. Jur. Part. I. En. 169.* de commissario quodam camerali; quare cum D. G. N. contra C. F. P. an. 1710. ex literis cambialibus impetrasset rescriptum arrestatorium, Academia quidem Lipsiensis rigorem cambialem exercebat, at demonstrata qualitate filiifamilias, & relatione ad Potentissimum facta sequebatur Rescriptum liberatorium de dat. *Dreßden den 8. April. 1710. hujus tenoris. Als ist Unser Begehren, ihr wollet P. die Wache, gestalten Sachen nach, hinwieder wegnehmen.* Quanquam re accuratius pensitata, & si cambium tanquam peculiarem & principalem a mutuo plane distinctum contractum, uti merito fieri debet, respicimus, analogiæ Juris magis convenire videatur denegare exceptionem SCTI Macedoniani contra literas cambiales. Ventilata fuit operose quæstio coram Academ. Lips. inter E. C. T. & D. J. H. K. juniorem, dederat posterior literas cambiales quæ summam 30. th. attingebant, termino solutionis præterlapso extrahebat creditor Rescriptum arrestatorium, Academia a Potentissimo demandata in effectum deducebat, debitor personali arresto detentus, clypeo SCT. Macedon. se tutum existimans, denegabat solutionem, Facult. Jurid. Lips. Mens. April. 1716. pronuntiabat ad acta: *Daß Bekl. diesfalls des Arrests hinwiederum zu erlassen,* adjectis rationibus decidendi. *Ob nun wohl der Wechsel-Contract ein in denen Rechten nachgelassenes negotium ist,*

daraus

daraus die Contrahenten zu deren daher entstehenden Præstationen ordentlicher Weise kräfftigst verbunden vverden, diesem nach daß, da Bekl. einen Wechsel-Brieff von sich gegeben, er auch denselben bezahlen, und biß dahin in dem allergnädigst angeordneten Arreste verbleiben müsse, scheinen vvill. D. a. u. d. Bekl. beybracht, dass er annoch unter väterlicher Gevvalt sey, dieselbe auch dadurch, dass er den Gradum Doctoris angenommen und advocire, so schlechterdings nicht aufgehoben vvorden, und vvegen derer Universitäts-Vervvandten so filii familias seynd Ihro Churfl.Durchl. zu Sachsen Herr Joh. Georg. der II. glorvvürdigsten Andenckens, unterm dato den 19. Mart. 1680. an die Universität Leipzig in genere gn. Befehl ertheilet, dass denen, vvelche noch sub patria potestate sich befinden, keinesvveges Wechsel-Briefe von sich zu stellen verstattet, sondern, vvenn solches geschehen, sie darvvider bey dem SCT. Macedon geschützet vverden solten, vvelches gn. rescript. Bekl. hierunter, indem er den Wechsel-Brieff eigenhändig von sich ausgestellet, zu statten kommet; Actor interponebat Leuterationem, quam quidem Academia rejiciebat, sed per Rescriptum Regium admittebatur, prosecutione facta & positionibus ab utraque parte plus justo prolixioribus ad acta repositis, juncto a debitore responso Scabin. Lipsiens. Mens. August. ejusd. ann. in favorem quærentis dati, sequebatur confirmatoria Facult. Jurid. Vitembergens. de Publ. d. 26. Sept. d. a. *Daß es eingevvandter Läuterung ohngeachtet bey dem am 20. April. dieses 1716. Jahres eröffneten Urthel billig verbleibet.* Separatæ equidem erant rationes decidendi sed nil quicquam novi continebant quam ea quæ a JCTIS Lipsiensibus pro stabilienda sententia prolata, causa per appellationem ad Summum Provocationum judicium Dresdense delata, aliam plane induebat formam, etenim loco confirmatoriæ pronuntiabatur Mens. Febr. 1717. reformatoria. *Dass in I. Inst. übel gesprochen, und vvohl appelliret, derovvegen Appellatens Principal des arrests noch zur Zeit nicht zu entlassen, sondern vveiln*

er den Fol. 11. act. I. Inst. befindl. Wechsel-Brieff recognosciret, darinnen so lange biss er zuförderst die geklagte Schuld der 30. thl. nebst dem aufgelauffenen Interesse moræ und verursachten Unkosten Appellanten bezahlet, zu enthalten, zu welchem Ende die Sache an die Richter I. Inst. zu remittiren, immassen wir sie hiermit dahin remittiren und weisen, nec prius dimissus quam ex solutis 158. thl. sorte usuris & expensis; Eundem in modum in simili causa victoriam in eodem suprem: Appellationum judic. reportasse refert Dn. Præses. Ea vero, quæ de negotio cambiali dicta tuto accommodari nequeunt ad chirographum super mutuo datum, licet clausula cambialis adjecta, nam, cum ex inspectione documenti appareat, mutuum intercessisse, merito ista ex contractu resultans exceptio sibi locum vindicabit, nec clausula accessoria, se ad executionem tantummodo referens, mutare potest principalem obligationem cujus effectus per exceptionem legibus concessam infirmari potest, quod secus se habet in reliquis contractibus in quibus supra clausulæ cambiali eundem effectum ac literis cambialibus tribuimus, magna enim intercedit differentia inter negotium, quod inter personas habiles, quibus integrum pactis dare legem contractui, geritur, & inter contractum ex parte alterius autoritate juris improbatum, in quo ne quidem filiusfamilias valide renunciare potest exceptioni SCT. Macedoniani, In citat. *Emend. O. P. app. §. XI.* indistincte in patria potestate existentes filii familias, si non peculium castrense vel quasi castrense, vel etiam adventitium irregulare possident, exemtos legimus.

§. XXII.

Speciale est quoad Studiosos in Academia Lipsiensi & Vitembergensi Studiorum causa commorantibus quorum literæ cambiales nullam omnino vim nec obligandi virtutem habent, imo nequidem ut simplicia chirographa valere debent, emanavit hac de re noviss. mandat. Regium de an. 1718. quod *in append. Ord. emend. sub. No. XXV. pag. 182.* integrum exhibetur, & a Dn.

WERNH.

WERNHER. *Enunc.jur. part. 1. En.217.* denuo infertum jung. append. Emend. Ord. Proc. §. XI. idem, ne fraus fiat legi, de reliquis chirographis claufula cambiali munitis quoad modum procedendi afferendum, quod enim directo prohibitum per indirectum, admitti non debet.

§. XXIII.

Clerici quondam ob debitum cambiale incarcerari poterant, fed emanavit M. Mart. 1711. Mandatum. Electorale, quod integrum recitat Dn. WERNHER. *P.IV. Obf.55.* vi cujus clerici & perfonæ Ecclefiafticæ affiftentes prohibentur fub pœna fufpenfionis itemque remotionis literas dare cambiales idque ob varia quæ metuenda incommoda, ne fcilicet cura animarum præfertim in repentinis cafibus negligatur, nec vicinis onus adminiftrandi muneris alieni obtrudatur, fcandalum quoque evitetur, cui mandato legem faltem punitionis non caffationis fimplicis contineri exiftimat NOB. Dn. de BERGER. *Oecon. Jur. privat. Lib. IV. tit.30. §. 4. Not. 4.* conf. *d. Mand. in den Beyl. der Erl. und Verb. P. O. N.27. p. 198. verb. Hingegen der Wechfel - Brief mehr nicht, als ein chirographum gelten folle.* idem erit quoad inftrumenta obligatoria claufula cambiali munita, & quamvis lex nova ad cafus faltem futuros adeoque non ad debita cambialia ante fufceptum officium, contracta fefe referre videatur, cum quo convenit §. *XI. append. Emend. Ord. Proc.* tamen in Confiftoriis nullam decernere folent executionem quoad negotia cambialia ante promulgationem iftius mandati celebrata, adeoque hodie dolo carere non videtur clericus, qui literas cambiales vel chirographum fub claufula cambiali dedit, imo fi in ejusmodi clericum exemplum per remotionem aut fufpenfionem ftatueretur, & poftmodum rigor cambialis in ipfum exerceretur, fortaffe cautius mercari difcerent, & tunc ceffarent illa incommoda quæ caufam refcripto dederunt. De cœtero quæri poffet, an lex illa pœnalis quoad fufpenfionem & remotionem ad chirographa claufula cambiali munita applicari debeat? Sane animadverfione graviffima dignus

clericus, qui ſcienter tale chirographum ſubſcribere non dubitavit. Reliqui omnes qui non mercaturam exercent, ante completum annum 25. uti etiam ruſtici, niſi permiſſam negotiationem exercent vel conductores prædiorum ſint, immunes pronuntiantur a rigore cambiali *in emend. Ord. Proc. append.* §. *XI.* quæ diſpoſitio etiam capienda de Chirographis clauſula cambiali munitis, placuit enim Potentiſſimo eximere nominatas perſonas a rigore cambiali, alias ſane lex facili negotio per adjectam clauſulam reddi poſſet eluſoria.

§. XXIV.

Si plures conjunctim ejusmodi inſtrumentum obligatorium ſubſcripſerint, quæritur, an unus eorum conventus ſe tueri queat exceptione diviſionis partemque ſuam ſolvendo liberetur? Regulam juris communis generalem, quod omnibus correis iſtud beneficium competat ex *Nov. 99. c. 1.* DD. vulgo applicant ad cauſas cambiales vid. Dn. WERNHER. *P. VI. Obſ. For. 373.* qui ex hoc fundamento etiam in Luſatia ſuperiori huic beneficio locum tribuit *p. VII. Obſ. 153.* aliter ſentit CARPZ. *p. 2. C. 17. n. 12.* cujus ſententiam Summum Appellationum Senatum approbaſſe præjudicio confirmat RIVIN. *ad Ord. Proc. Tit. LI. En. XXXIV.* conf. STRUV. *Ex. ad ff. tit. XXII.* §. *XLIII.* Sane in *Ordin. Camb. Lipſ.* §. *13.* iſta exceptio nominatim a cambiis quoad acceptantem exulare juſſa eſt, ſed an locale iſtud ſtatutum ad alia inſtrumenta obligatoria clauſula cambiali munita applicari queat non caret dubio, cum ſit de literis cambialibus acceptatis conceptum, & literæ cambiales reliquis inſtrumentis quarentigiatis certo modo oppoſitæ videantur, ſane res a motu judicis variante dependere videtur.

§. XXV.

Mercatorem ex chirographo, ſub clauſula cambiali informato, alium mercatorem coram judicio Mercat. Lipſienſ. non aliter convenire poſſe, quam ſi etiam cauſam debendi mercatoriam, *die von Mercanz, Handel und Wechſel herkommen,* con-

continеat, pro tali tamen minime habendum putat DN. BARTH. *Hod. Forenſ. Cap. IV. §. X.* Si dictum ſcriptumve, ad exercendam negotiationem, datam pecuniam eſſe, *daſs Creditor ihm 1000. thl. in die Handlung gelieben, item zu Verbeſſerung und Erweiterung der Handlung vorgeſchoſſen hätte; Welches er ihme nach Wechſel-Recht hinwieder zu bezahlen verſpräche*, quia verbis iſtis non niſi mutuum indigitetur, quod cum mercatura nihil commercii habeat, nec ei accenſeri poſſit, enimvero nobis videtur in propoſito caſu omnino adeſſe cauſa mercantilis & ſane verba ſupra nominata qualitatem illam abunde ſatis innuunt, imo mutuum verbis expreſſis in *Tit. 2. Ord. Mercat.* ſub verbis *Geld-Anlehn* paulo poſt *Zinnſs-Gelder* in catalogum earum cauſarum quæ ad judicium mercatorium trahi poſſunt, ibidemque ventilandæ, relatum legitur; & cum mercator ob merces emtas ſe ſubmittere debeat cognitioni judicii, cur non etiam eo caſu cum ab alio ad eaſdem emendas nummos mutuo acceperit, proinde ejusmodi mercatori nulla promittenda ſecuritas potius citari ad judicium mercatorium & adverſus ipſum comparentem prævia recognitione, ceſſante exceptione fori declinatoria, ſolve aut mane, jure meritoque applicari poterit.

§. XXVI.

Compenſationis & ſolutionis exceptione non aliter vis literarum cambialium in foro Saxonico, ſi in manu tertii, elidi poteſt, quam ſi id quod ſolutum ex inſpectione & productione literarum cambialium appareat, & quietantia ſive confeſſio creditoris in tergo adjecta, qua de re extat ſpeciale reſcriptum Potentiſſimi noſtri Aug. de an. 1699. quod in append. *Emend. O. P. §. XV.* repetitum & ad exceptionem pacti de non petendo ut & reliquas ex facto indoſſantis provenientes exceptiones extenſum, proinde hujus legis ſpecialis diſpoſitio applicari non poteſt ad alia chirographa clauſula cambiali firmata, manifeſta enim diſparitatis ratio in promtu ſcilicet fa-

vor commerciorum, & celeritas cambiorum, cum sæpius literæ cambiales per decem manus transire soleant, & nudo indossamento opus, nullas permittit ambages, e contra ejusmodi chirographa cessione formali indigent, adeoque contra hæc, regula: Quæcunque exceptio cedenti opponi potest, illa etiam locum sibi vindicat contra cessionarium salva, præsuppositis tamen terminis habilibus, si nempe in continenti liquidæ & ita comparatæ, ut in processu executivo admitti debeant, sunt enim solutio & compensatio modi tollendi obligationem ipso jure ex momento mutui debiti & crediti Dn. BARTH. *cap. IV.* §. *XXI. & ad h. lit. a.* hinc etiam ea, quæ in §. *20. Emend. O. P. Tit. XXXIX.* de executione in nomina quoad exemtionem literarum cambialium disposita ad alia chirographa clausula cambiali firmata ex eodem fundamento applicare non licet.

§. XXVII.

Præscribuntur literæ cambiales propriæ juxta *Ord. Camb. Lips.* §. *XXXII.* annali spatio, hæc tamen dispositio specialis, literas cambiales in forma tales respiciens, applicari non poterit ad reliqua instrumenta obligatoria clausula cambiali firmata, adeoque debitor etiam coram judicio mercatorio conventus sese exceptione præscriptionis contra tale documentum tueri non poterit. Dn. KVSNERI *disput. inaugural. de menstrua & annal. præscript. liter. camb.* §. *38.* In *revis. Ord. Proc. append.* §. *16.* quadriennium determinatum a tempore solutionis promissæ aut ultimæ prolongationis factæ, computandum quo elapso rigor quidem cambialis cessare incipit, retinet tamen vim quarentigiati documenti, adeoque processus executivus merito locum sibi vindicat, qui cum intuitu judicii mercatorii ejusdem effectus cum cambiali hinc merito exemta *Ordin. cambial.* a sapientissimo nostro Legislatore; Quo loco non possumus non monere, non opus esse utrumque creditorem & debitorem esse mercatores, si literis cambialibus coram Judic. Mercat. Lips. præscriptio annalis cum effectu opponi queat, sed sufficere reum sive debitorem

rem

rem esse talem, adeoque si nobilis aut literatus conveniat mercatorem ex cambio, elapso annali spatio, eundem a limine judicii repelli posse exceptione præscriptionis nulli dubitamus, quilibet enim actor se submittere debet juribus loci ubi causa ventilatur, & imputet sibi actor, quod mercatori numos suos crediderit, aut non citius intra tempus legibus definitum actionem, in judicium deduxerit. conf. DN. D. KVSNER. *dict. diss. §. XXI.* qui præjudicium Facult. Lips. in contrarium adduxit, quæ fortasse ratio, cur DN. D. KOENIG *in annot. ad d. §. XXXII. sub. n. 8.* eandem sententiam defendat, sane res foret pessimi exempli si fortasse literæ cambiales tempore nundinarum per varia indossamenta & per mille manus nobilium aut literatorum transiissent, scrupulosam admittere investigationem, quoad qualitatem personarum sæpius ignotarum & peregrinarum nec enim exceptio præscriptionis oritur ex qualitate creditoris aut ex facto cedentis, sed se ex ipsis literis cambialibus manifestam reddit. DN. BARTH. *Hod. For. Cap. IV. §. XXIII. lit. b. n. 4. & §. XXXVI. lit. 6.*

§. XXIIX.

Si major pars creditorum debitori inducias concedit aut cum debitore communi paciscitur, eique debiti quotam remittit, reliqui concreditores, observata forma legibus præscripta, pro rata obligantur. *l. fin. C. qu. bon. ced. poss. j. l. 7. §. 8. & 10. ff. de pactis*, is tamen qui literas cambiales possidet adstringi nequit ut se pacto isto creditorum remittentium, conformet DN. BARTH. *Hod. For. cap. IV. §. XXIIX.* RIVINVS *Tit. XLI. En. XII. & XIV.* idem judicandum esse censemus de creditore, qui sibi chirographo clausula cambiali munito prospexit, nullam enim disparitatis rationem invenire licet, sane induciæ & dilationes naturæ & indoli literarum cambialium, quæ celerrimam expeditionem & exuberantem fidem exposcunt e diametro contrariæ, imo ex creditoris æque ac debitoris intentione tacitam renunciationem salvi conductus continent, & is, qui sibi ejusmodi instrumentum obligatorium dari curavit, non solum solutionem debiti sed insimul ejus-

dem maturationem intendit, ut nempe solutione reali stato tempore non præstita, debitor arresto personali, cui semel se submisit, ad eandem adigi queat, & frustra ad generalitatem dict. LL. provocatur, a scopo enim Imperatoris Justiniani toto cœlo differunt causæ cambiales & favor commerciorum. Imo ejusmodi creditorem contradictione sua impedire posse quo minus debitoris arestum personale, quo detinetur, relaxetur, quamvis major pars in ejus liberationem consenserit, non inique dixeris. Alia ratio erit carceris publici *des Schuld-Thurms*, hic enim pacto majoris partis creditorum remitti poterit, quamvis dissentiat creditor cambialis, hic enim, vi conventionis, debitorem suum arresto personali afficere, non vero ipsum in carcerem publicum, qui ex lege dictitatur, conjicere potest. *Nob.* Dn. de BERGER. *Discept. Forens. Tit. LII. Obs. I. not. 2.* Aliter visum sacratissimo legislatori Saxon. in mandat. ratione Banciruptorum superiori anno promulgato, vi cujus §. *16.* pactum remissorium majoris partis creditorum, quæ non juxta numerum personarum sed quantitatem debitorum, aut si paritas adsit ex pluralitate personarum metienda, obligat etiam creditores cambiales.

§. XXIX.

Finge vero præclusum esse ejusmodi creditorem ob contumaciam a concursu super bonis debitoris moto, annon rigorem cambialem contra ipsum, etiam pendente adhuc concursu, exercere poterit? non aliter Dn. Scabin. Lipsiens. quondam id permiserunt, quam finitio plenarie concursu, quorum responsum integrum exhibet RIVIN. *Tit. XLI. En. VIII.* Sed nullam videmus rationem prohibitionis, cum ab exclusione a massa concursus & bonis debitoris ad privationem Juris cambialis & exclusionem executionis in personam debitoris nulla valeat consequentia, & merito creditoris arbitrio relinquendum, annon sumtus ad detinendum dolosum decoctorem in carcere, in solatium sui & ne aliis noceat, erogare velit, nec exinde creditoribus præjudicium quoddam infertur, hinc etiam laudatos Scabi-

nos

nos re penitius inſpecta ſententiam priorem quoad actionem cambialem M.Dec. 1708. ad conſultationem judicii Mercat. Lipſ. mutaſſe compertum habemus. Idem judicium ſit de chirographo clauſula cambiali firmato.

§. XXX.

In reviſ. Ord. proc. Tit. LI. impoſitiones & conceſſiones arreſtorum plane abrogatæ & arreſtis Jus reale & prioritatis ademtum, aliusque modus in ſecuritatem creditoris præſcriptus, circa finem tamen creditoribus cambialibus reſervatus rigor cambialis, quem locum non ſolum de literis cambialibus in forma talibus, ſed & de aliis clauſula cambiali munitis accipimus, id quod verba generalia, *iedoch dadurch ein Wechſel-Gläubiger* (qualis etiam eſt, qui chirographum, tale poſſidet) *nach Wechſel-Recht zu verfahren nicht gehindert vverden.*

§. XXXI.

Judæi etiam non admoniti pecuniam ex literis cambialibus debitam in ædes vel tabernam Chriſtianorum transferre jubentur *in Ord. Camb. Lipſ.* §. *XII.* alias Chriſtianis poteſtas conceſſa proteſtationem de ſolutione non facta elevare, quod de inſtrumentis aliis obligatoriis, licet clauſula cambiali munitis, aſſerere non audemus.

§. XXXII.

Literæ cambiales vi reſcripti Regii in chartam ſignatoriam, *Stempel-Papier 4. groſſ.* absque reſpectu ſummæ, quam continent, ſub certa pœna ſcribendæ, reliqua documenta, quamvis adjecta clauſula cambialis, juxta quantitatem, quæ in contractum vel promiſſionem deducta, æſtimanda, pro ſingulis nempe 1000. flor. charta ſignatoria 10. gr. adhibenda.

§. XXXIII.

Uſuræ ſemiſſales in debitis cambialibus per ſpeciale Reſcriptum Regium ſub dat. d. 19. Mart. 1704. permiſſæ in reliquis negotiis reductæ ad quincunces, an igitur clauſula cambialis ſecurum

curum reddere possit, creditorem, si sibi 6. pro centenis stipulatus fuerit, merito dubitatur, cum lex illa permissiva se tantum referat ad cambia quatenus novum & separatum a reliquis negotiis efficiunt contractum, proinde quemlibet ut provide agat, monemus, ne in pœnas ex justa indignatione in usurarios latas & in mandato novissimo de Banciruptoribus §. 2. repetitas imprimis quadrupli, incidat.

§. XXXIV.

Jus Retentionis mercatoribus in mercibus venditionis causa, vulgo in Commission transmissis, si literæ cambiales in eos trassatæ, vel sumtus erogati, per speciale Rescriptum Electore de dat. d. 4. Sept. 1669. tribuitur, quod beneficium post *in Ord. Camb. Lips.* §. *XXXIV.* repetitum & confirmatum denique in *emend. O. P. Tit. XLI.* §. *1.* ad quævis loca ditionum Saxonicarum extensum, sed id ad alia debita, licet fortasse clausula cambiali munita, stricto jure non extentendum, adeoque debitore bonis lapso creditori deneganda erit retentio, is potius ad concursum remittendus. DN. KOENIG. *ad* §. *34. Ord. camb. sub n. 3.*

§. XXXV.

Ad extremum, fortasse e commodo Reipublicæ foret, & ad stabiliendam fidem publicam, imo revocanda commercia maxime conduceret, si indistincte quibusvis Instrumentis obligatoriis ut & assignationibus eadem vis idemque effectus ac solennibus literis cambialibus tribueretur, quod an. 1705. in Anglia consensu utriusque Parlamenti factum accepimus.

TANTUM.



)o(